An. et vol. XXXI 19 Augusti 1939 (Ser. II, vol. VI) - Num. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Constitutiones Apostolicae, p. 293 - Litterae Apostolicae, p. 296 - Epistula, p. 301.

Acta SS. Congregationum: *S. S. C. S. Officii*: Decretum, p. 303 - *S. C. Consistorialis*: I. Decretum de mutatione finium, p. 306. II. Provisio Ecclesiarum, p. 307 - *S. C. pro Ecclesia Orientali*: Nominatio, p. 308 - *S. C. de Propaganda Fide*: I, II. Decreta de mutatione finium, p. 308. III. Provisio Ecclesiarum, p. 310. IV. Nominationes, p. 310. V. Designatio, p. 311 - *S. C. Rituum*: I. Decretum introductionis causae servi Dei Aloisii Guanella, p. 311. II. Decretum de miraculis pro canonizatione B. Mariae a S. Euphrasia Pelletier, p. 314.

Acta Tribunalium: *S. Paenitentiaria Apostolica*: Responsum p. 317 - *S. R. Rota*: I, II. Citationes edictales, p. 318.

Acta Officiorum: *Pont. Commissio de re biblica*: Responsum, p. 320 - *Pont. Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos*: Responsa, p. 321.

Diarium Romanae Curiae: Udienze solenni - S. C. « de Propaganda Fide »: Nomine - S. C. dei Riti: Congregazioni varie - Segreteria di Stato: Nomine - Necrologio, pp. 322-332.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XXXIX

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Vaticana — Città del Vaticano

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 30 — extra Italiam, *L. it.* 50 —

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 3,50 extra Italiam, *L. it.* 4 —

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXI, n. 9 – 19 Augusti 1939)

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE — PAG.

I. *De Sienhsien* (De Kinghsien). – Vicariatus Apostolicus de Sienhsien bipartitur et nova exinde Praefectura Apostolica de Kinghsien erigitur. – *25 Aprilis 1939* 293

II. *De Seul* (Sunsenensis). – Vicariatus Apostolici de Seul in Corea territorium bipartitur et nova exinde Praefectura Apostolica Sunsenensis erigitur. – *25 Aprilis 1939* 295

LITTERAE APOSTOLICAE

Divinae benignitatis. – Venerabilis Dei Famulus, e Congregatione Missionis Sancti Vincentii a Paulo, Iustinus de Iacobis, Episcopus Nilopolitanus, primus Abyssinensium Vicarius apostolicus, Beatus renuntiatur. – *25 Iunii 1939* 296

EPISTULA

Singulari animi. – Ad Emum P. D. Aloysium Tit. S. Silvestri in Capite S. R. E. Presb. Cardinalem Lavitrano, Archiepiscopum Panormitanum, eundemque Administratorem Apostolicum Eparchiae Planensis Graecorum, quinque Episcopatus lustra feliciter explentem. – *9 Aprilis 1939* 301

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA S. CONGREGATIO S. OFFICII

Decretum. Aufertur prohibitio diarii « L'Action Française », ex die promulgationis huius Decreti. – *10 Iulii 1939* . 303

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I. *Paderbornensis-Coloniensis.* – Decretum. De mutatione finium dioecesium. – *1 Aprilis 1939* 306

II. Provisio Ecclesiarum 307

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

Nominatio 308

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I. *De Kirin et de Tsitsihar.* – Decretum. E Vicariatu Apostolico de Kirin pars septemtrionalis seiungitur atque Praefecturae Apostolicae de Tsitsihar adnectitur. – *15 Martii 1939* 308

II. *De Miarinarivo et de Morondava.* – Decretum. A Missione sui iuris de Miarinarivo districtus de Ankavandra seiungitur atque Praefecturae Apostolicae de Morondava sublicitur. – *15 Martii 1939* 309

III. Provisio Ecclesiarum 310

IV. Nominationes 310

V. Designatio pro appellatione 311

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Comen. seu Mediolanen.* – Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Aloisii Guanella, Sacerdotis et Fundatoris Congregationis Servorum a Caritate et Filiarum S. Mariae de Providentia. – *15 Martii 1939* 311

II. *Andegaven.* – Canonizationis B. Mariae a S. Euphrasia Pelletier, Virginis, professae Ordinis Dominae Nostrae a Caritate, Fundatricis Instituti Sororum a Bono Pastore. – *4 Iunii 1939* 314

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Dubium. De absolutione impertienda adhaerentibus factioni « L'Action Française ». – *24 Iulii 1939* 317

SACRA ROMANA ROTA

Citationes edictales:

I. Westmonasterien. – Nullitatis matrimonii (Mazzucchi-Saavedra). – *24 Iulii 1939* 318

II. Florentina. – Nullitatis matrimonii (Bertini-Giulianini). – *5 Augusti 1939* . 319

ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIO DE RE BIBLICA

Responsum. De experimentis ad lauream. – *16 Iulii 1939* 320

PONTIFICIA COMMISSIO AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

Responsa ad proposita dubia. – *24 Iulii 1939* 321

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienze solenni 322

II. Sacra Congregazione « de Propaganda Fide » 322

III. Sacra Congregazione dei Riti: *Varie* . 322

IV. Segreteria di Stato: *Nomine* 323

V. Necrologio 332

An. et Vol. XXXI 19 Augusti 1939 (Ser. II, v. VI) - Num. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

DE SIENHSIEN
(DE KINGHSIEN)

VICARIATUS APOSTOLICUS DE SIENHSIEN BIPARTITUR ET NOVA EXINDE PRAEFECTURA APOSTOLICA DE KINGHSIEN ERIGITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad uberiores in regionibus adhuc Evangelii luce carentibus fructus percipiendos procul dubio quam maxime prodest amplissima plerumque Missionum territoria in partes dividere et novas exinde constituere ecclesiasticas circumscriptiones, aliis christianae veritatis praeconibus concredendas.

Quod quidem perpendens venerabilis Frater Franciscus Xaverius Tchao, Episcopus titularis Bisicensis et Vicarius Apostolicus de Sienhsien, annuente dilecto filio Praeposito Generali Societatis Iesu, cui Vicariatus ipse concreditus est, supplices ad Sedem Apostolicam porrexit preces, ut, attentis tum amplissima sui Vicariatus Apostolici amplitudine, tum maxime ingenti animarum numero, catholicam religionem amplectendi cupientium, meridionalis eiusdem territorii pars distraheretur et nova exinde Missio erigeretur, Societatis Iesu Austriacae Provinciae sodalium, plures iam annos assidue et fructuose inibi adlaborantium, apostolicis curis committenda.

Nos vero, praehabito venerabilis Fratris Marii Zanin, Archiepiscopi Titularis Traianopolitani in Rhodope et Delegati Apostolici in Sinis, favorabili voto, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Sacrae Congregationi de Propaganda Fide praepositorum consilio, iisdem precibus, re mature perpensa, annuendum censuimus. Suprema igitur auctoritate Nostra ex Apostolici de Sienhsien Vicariatus territorio civiles subpraefecturas de *Kihsien, Hengshui, Tsaokiang, Wuji, Sinho, Nankung, Fowcheng, Kucheng, Wukiao, Kinghsien, Tungkwang, Ningtsing* separamus atque territorium, hasce civiles subpraefecturas complectens, in novam erigimus et constituimus Praefecturam Apostolicam, quam a principe eiusdem nominis subpraefecturae urbe, *de Kinghsien* nuncupari volumus ac decernimus. Novam hanc Praefecturam Apostolicam de Kinghsien, iisdem terminatam finibus, quibus praefatae subpraefecturae civiles, sollertibus concredimus curis Societatis Iesu sodalium Missionariorum, ad Nostrum tamen et Sedis Apostolicae beneplacitum. Praefecturae illi insuper eiusque pro tempore Praefectis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceterae per orbem Praefecturae earumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri Praefecti Apostolici adstringuntur.

Quae omnia, uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce Litteris haberetur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, commissionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero hoc, ausu temerario, attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo nono, die quinta et vicesima mensis Aprilis, Pontificatus Nostri anno primo.

Fr. TH. PIUS, O. P., Card. BOGGIANI
Cancellarius S. R. E.

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praef.

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Vincentius Bianchi Cagliesi, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., Vol. LXI, n. 12 - Al. Trussardi.

II

DE SEUL
(SUNSENENSIS)

VICARIATUS APOSTOLICI DE SEUL IN COREA TERRITORIUM BIPARTITUR ET NOVA EXINDE PRAEFECTURA APOSTOLICA SUNSENENSIS ERIGITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad fidei propagationem aptius consulendum maxime quidem iuvat perampla quandoque ecclesiasticae cuiusvis circumscriptionis territoria in partes dividere atque novas exinde Missiones constituere, aliis Evangelii praeconibus committendas. Quae quidem Nos prae oculis habentes, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi de Propaganda Fide praepositorum consilio, lubenti animo enixis venerabilis Fratris Adriani Ioseph Larribeau, Episcopi titularis Dusensis et Vicarii Apostolici de Seul, precibus annuendum censuimus, quibus ab Apostolica Sede petiit, ut ex amplissimo sui Vicariatus territorio civilis provincia de *Kogendo,* coreanico sermone de *Kang-uen-to,* distraheretur et, in novam ecclesiasticam circumscriptionem erecta, alteri Missionariorum Societati concrederetur. Praehabito itaque venerabilis Fratris Pauli Marella, Archiepiscopi titularis Docleensis et in Iaponia Delegati Apostolici, favorabili voto, consentientibus quoque dilectis filiis tum Moderatore Generali Societatis Parisiensis Missionum ad Exteras Gentes, cuius sodalium Missionariorum curis Apostolicus quem supra memoravimus Vicariatus de Seul concreditus est, tum Moderatore Generali Societatis S. Columbani pro Missionibus apud Sinenses, cui novae illius Missionis cura committi proponebatur, Nos, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, suprema auctoritate Nostra a Vicariatus Apostolici de Seul territorio praefatam provinciam civilem de *Kogendo* seiungimus ac separamus, atque in Praefecturam Apostolicam, ex *Shunsen* urbe Provinciae principe Sunsenensem nuncupandam, erigimus et constituimus; eamque praefatae Societati S. Columbani pro Missionibus apud Sinenses, ad Nostrum tamen et Sedis Apostolicae beneplacitum, concredimus. Praefecturae illi insuper eiusque pro tempore Praefectis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceterae

per orbem Praefecturae earumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri Praefecti Apostolici adstringuntur. Quae omnia, ut supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem volumus haberi fidem, quae hisce Litteris haberetur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, commissionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero hoc, ausu temerario, attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo nono, die quinta et vicesima mensis Aprilis, Pontificatus Nostri anno primo.

Fr. TH. PIUS, O. P., Card. BOGGIANI
Cancellarius S. R. E.

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praef.

Ioseph Wilpert, *Decanus Collegii Proton. Apost.*
Alfridus Vitali, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., Vol. LXI, n. 13 - Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

VENERABILIS DEI FAMULUS, E CONGREGATIONE MISSIONIS SANCTI VINCENTII A PAULO, IUSTINUS DE IACOBIS, EPISCOPUS NILOPOLITANUS, PRIMUS ABYSSINENSIUM VICARIUS APOSTOLICUS, BEATUS RENUNTIATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Divinae benignitatis consilio ab Apostolico aevo ad Nostra usque tempora factum est ut iugiter viri suscitentur praeclari qui verbo et opere continentibus ad Ecclesiam a Christo Redemptore Nostro conditam, idest ad unica salutis pascua alios homines adducant; Evangelium omni creaturae, iuxta inexstinctum mandatum, nunciantes, regnum etiam Christi pacificum per orbem dilatent; beneficiis ipsis rerum gestarum, virtutibus doctrinaque,

quibus enitent, veluti fecunda pluvia Fidei semina in orbe ita irrigent, ut uberiores deinde segetes bonitatis sanctitatisque colligantur. E virorum huiusmodi numero, quos provide Deus misit mirabilia Nobis exempla relinquentes, sine ulla dubitatione etiam habendus est Venerabilis Dei Servus Iustinus de Iacobis, qui Abyssiniae antea Praefectus, postea Vicarius Apostolicus, dimidio saeculo decimo nono, teste celeberrimo Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Massaia, fuit « Abyssinensis Missionis fundator, indefessus Orientalis Africae apostolus, missionariorum magister, illius fortitudinis atque abnegationis, quae ad Missiones provehendas sunt necessariae, typicum exemplar, Aethiopicae Ecclesiae angelus ». E Christianis honestisque parentibus, integritate vitae spectatis, die nona mensis Octobris, anno millesimo octingentesimo in Terra Sancti Felicis, vulgo « San Fele », intra fines dioecesis Muranae in Lucania, natus est Iustinus de Iacobis, qui ab ipsa pueritia quodammodo ostendit quid postea acturus esset. Religiosissimae enim genetricis curis plane respondens, adhuc puerulus iam in Fidei veritates meditandas incumbebat, Sanctissimam Eucharistiam, Dominicam Passionem, Beatam Virginem Mariam devotione magna prosequebatur, pauperes pro viribus sublevare satagebat; inter Pii Operis Propagationis Fidei cooperatores adscitus, infidelium atque errantium ab unitate Fidei conversionem impense a Deo implorabat ; cumque ad coeleste Agni convivium novem annos natus primum accederet, angelus potius quam puer apparuit. Postea cum genitor eius a parvo Lucaniae oppido Neapolim, alienissimo tempore, familiam transtulisset, eadem in amplissima urbe Iustinus studiis bonarum artium sedulus vacavit; acre enim et subitum ingenium simul atque optimam indolem sortitus erat. Cum adulescens ad religiosam vitam se vocari senserit, in Congregationem Missionis Sancti Vincentii a Paulo octavum agens supra decimum aetatis suae annum ingressus est, in eademque, votis nuncupatis studiorumque sacrorum curriculo exacto, die decima secunda mensis Iunii, anno millesimo octingentesimo vicesimo quarto, Brundusii sacro Presbyteratus Ordine auctus est; ac paulo post apostolici ministerii laboribus sese devovit, et, cum ad sacras conciones praecipue se actum ostenderet, ac tam studiose fructuoseque ad Christifideles verbum Dei faceret, iam tunc temporis angelus caritatis, mansuetudinis agnus, humilitatis exemplar visus est. Gravia etiam officia in Congregatione Missionis primis sui sacerdotii annis nitide gessit ; sed ardens eius studium boni animarum patriae finibus contineri non poterat. Quapropter a Sacra Fidei Propagandae Congregatione instituendae Aethiopiae Missionis Praefectus Apostolicus auspicato factus, libentissimo animo ut Abyssiniae populo ca-

tholicae religionis lumen expetenti veram Evangelii doctrinam nunciaret, paucis sibi additis sociis anno millesimo octingentesimo tricesimo nono Africam versus profectus est. Suam tandem nactus est Missionem, asperrimam quidem et difficultatibus plenam. Sed, caritate in Deum et proximos maxima ductus, omnia ipse vicit, schismaticorum pervicaciam, rerum necessariarum penuriam, coeli inclementiam. Neque pluvia neque aestus intollerabiles detinere poterant Christi praeconem, qui longa atque aspera itinera aggressus per arduas regiones Tigrinas, Scioanas finitimasque sacra munia indefesse obivit, et quo religionis caritatisque zelus eum vocaret, nulla interposita mora ipse properabat. Ut autem facilius Abyssiniae populum ad Christum alliceret, indigenarum vivendi rationi se adamussim accommodavit, patienter suaviterque discipulos quoque indigenas in rebus sacris efformavit, solidum diem ipsemet in ministerii animarum operibus insumebat, magnam denique noctis partem excubias in oratione agens Deo suo vigilabat. Post duos fere annos in Abyssinia transactos, arrepta occasione cuiusdam ad Cairum in Aegypto legationis, cui instante Rege Aethiopiae uti comes additus fuerat, Dei Famulus primores nonnullos Abyssinos Romam usque perduxit nec non ad Loca Sancta Palaestinae, ut iidem ad patriam postea reduces secum portarent firmum martyrum mnemosynon et famam gloriosam Romanae Ecclesiae, itemque pietatem locorum quos Dominus Noster Redemptor ipse calcavit et pretioso suo sanguine aspersit. Ad regiones Missionis dein reversus, Dei Famulus nec a solito apostolatu abstinuit neque ab operibus temperavit consuetis; et cum teterrima illo tempore esset rerum omnium Abyssiniae condicio, quos Dei Servus susceperit invicto animo labores quantamque operam adhibuerit ad bonum excitandum incredibile dictu est. Percrescens propterea in dies optima Iustini fama effecit ut ipse primus Apostolicus Abyssiniae Vicarius a Sancta Sede eligeretur et Episcopus titulo Nilopolitanus. Imparem tamen se tanto honori atque oneri arbitratus, ob humilitatem suam ab illis declinare non dubitabat; sed a Gulielmo Massaia, tum Vicario Apostolico apud Gallas, ob graves temporum circumstantias quasi iussus ut oblatum munus reciperet, licet invitus et moerens, Massauae, die octava mensis Ianuarii anno millesimo octingentesimo quadragesimo nono consecrationem Episcopalem accepit; paratissimus ad suum etiam sanguinem pro Fidei veritate fundendum. Et revera exilium, carcerem, catenas, famem, sitim, proditiones, tribulationes omne genus Venerabilis Dei Famulus perpessus est; et nihilominus duodecim ferme millia schismaticorum ad Fidem Catholicam adduxit, plures missionarias stationes fundavit, selectum indigenarum clericorum manipulum educavit. Viginti et amplius

annos in Abyssinia Iustinus transegit numquam a caritate disiunctus, omnes autem occasiones nactus tot tantosque labores exantlandi pro gloria Dei provehenda atque animorum salute obtinenda. Persecutiones denique per asperas atque impervias vias aufugiens, morbo fractus viribusque destitutus, cum mortem instare animadverterit, sacramentali confessione munitus et Extrema Unctione roboratus, filios carissimos, quos in Christo genuerat, ut mutuum amorem servarent, debitam Romano Pontifici reverentiam atque oboedientiam praestarent exhortatus est, caritatisque victima e vita humi iacens placidissime ad Dominum migravit die tricesima prima mensis Iulii anno millesimo octingentesimo sexagesimo. Tanti patris excessum tam christiani quam mahumetani ipsi plorarunt; eiusdemque corpus, funere confertissimo ad ecclesiam de Ebo honorifice humatum, pie dein invisere catholici et schismatici, qui ex ipsis Iustini obitus diebus ad nostra usque tempora Venerabilis Servi Dei memoriam magna pietate studioque servarunt. Nil mirum itaque si fama sanctitatis, qua Dei Famulus adhuc vivus ob spectatissimas suas virtutes exornatus erat, nec non ob prodigia quibus tum ante tum post eius obitum Deus Servi sui sanctitatem eandem confirmare tradebatur, ex eodem mortis tempore ad nostros usque dies adeo increverit ut, processibus Ordinariis Neapoli, Lyciae atque in Apostolico Abyssiniae Vicariatu de more confectis, de Beatorum coelitum honoribus ipsi Servo Dei decernendis penes Sacrorum Rituum Congregationem Causa agitari coepta sit, ac per Decretum die tertia decima mensis Iulii anno millesimo nongentesimo quinto editum recolendae memoriae Pius Pp. X Decessor Noster Introductionis Causae Commissionem manu propria signaverit. Eadem vero Causa introducta cum fuerit, minoribus interea superatis iudiciis, adeo deinceps progressa est, ut mox etiam super Venerabilis Servi Dei Iustini de Iacobis virtutibus disceptari coeptum sit; quas tanquam heroica qualitate praeditas atque exornatas bo. mem. praedecessor Noster Pius Pp. XI anno millesimo nongentesimo quinto supra tricesimum die vicesima octava mensis Iulii adprobavit et declaravit. Agitata dein quaestione de miraculis quae a Deo patrata ferebantur per eiusdem Venerabilis intercessionem, post duas Congregationes, antepraeparatoriam nempe et praeparatoriam, coram Cardinali Causae Relatore habitas, nec non aliam Generalem Congregationem, quae coram Nobis die secunda mensis Maii anni huius habita est, rebus omnibus acerrimo iudicio investigatis, Nosmetipsi, die quartadecima praefati mensis, nempe quinta post Pascha Dominica, miracula proposita constare ediximus, ulteriusque proinde in casu procedi posse. Cum igitur esset de heroicis virtutibus deque miraculis prolatum iudicium, illud

discutiendum supererat, num Venerabilis Dei Famulus inter Beatos coelites recensendus tuto foret. Hoc dubium propositum est a Dilecto Filio Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Alexandro Cardinali Verde, hodierno Causae Ponente seu Relatore, in generalibus Comitiis coram Nobis habitis in Aedibus Vaticanis die vicesima tertia mensis Maii memorati, omnesque, qui aderant, tam Cardinales quam Sacrorum Rituum Consultores unanimi consensu affirmative responderunt. Nos vero in re tanti momenti Nostram aperire mentem distulimus donec enixis precibus a Patre luminum subsidium posceremus. Quod cum impense fecissemus tandem die quarta huius mensis Sanctissimae Trinitati sacra nuperrime praeterita, Eucharistico Sacro rite litato, adstantibus Dilectis Filiis Nostris Carolo Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Salotti, qui Sacrorum Rituum Congregationi praepositus est, et Alexandro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Verde, Causae Relatore, nec non dilectis filiis Alphonso Carinci, Congregationis Rituum a Secretis, et Salvatore Natucci, generali Sanctae Fidei Promotore, *tuto* procedi posse ad Venerabilis Dei Famuli Iustini de Iacobis beatificationem declaravimus. Quae cum ita sint, Congregationis Missionis Sancti Vincentii a Paulo vota implentes, nec non Catholicorum Abyssiniae, Apostolica Nostra auctoritate, praesentium Litterarum tenore facultatem facimus ut idem Venerabilis Dei Servus Iustinus de Iacobis, Episcopus Nilopolitanus ac primus Abyssinensium Vicarius Apostolicus Beati nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus ac lipsana seu reliquiae, non tamen sollemnibus in supplicationibus deferenda, publicae Christifidelium venerationi proponantur; itemque permittimus ut eiusdem Servi Dei imagines radiis decorentur. Praeterea eadem auctoritate Nostra largimur ut de eo quotannis de Communi Confessoris Pontificis cum lectionibus et orationibus propriis, per Nos adprobatis, Officium recitetur ab omnibus Christifidelibus, qui horas canonicas recitare teneantur, et Missa celebretur ab omnibus presbyteris tam e saeculari quam e religioso clero ad ecclesias sive sacella, in quibus festum agatur, convenientibus; sed tamen in dioecesi dumtaxat Murana, in qua Dei Famulus natus est, atque in Vicariatuum finibus ac Praefecturarum apostolicarum Africae Orientalis in qua sanctissime laboravit et ipse ad Dominum migravit; nec non in templis ac sacellis, ubique terrarum sitis, quibus Congregatio Missionis Sancti Vincentii a Paulo utitur. Demum facultatem impertimur ut sollemnia beatificationis Venerabilis Servi Dei Iustini de Iacobis supradictis in templis seu sacellis celebrentur, diebus legitima auctoritate designandis, intra annum, servatis servandis, postquam sollemnia eadem in Sacrosancta Patriarchali Basilica Vaticana fuerint peracta. Non obstantibus Constitutio-

nibus et Ordinationibu Apostolicis ac decretis de non cultu editis ceterisque contrariis quibuslibet. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrae Rituum Congregationis subscripta sint atque eiusdem Congregationis sigillo munita, in disceptationibus etiam iudicialibus eadem prorsus fides adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce ostensis Litteris haberetur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV m. Iunii, anno MCMXXXIX Pontificatus Nostri primo.

A. Card. MAGLIONE, *a Secretis Status.*

EPISTULA

AD EM̃UM P. D. ALOYSIUM TIT. S. SILVESTRI IN CAPITE S. R. E. PRESB. CARDINALEM LAVITRANO, ARCHIEPISCOPUM PANORMITANUM, EUNDEMQUE ADMINISTRATOREM APOSTOLICUM EPARCHIAE PLANENSIS GRAECORUM, QUINQUE EPISCOPATUS LUSTRA FELICITER EXPLENTEM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Singulari animi delectatione excepimus, te proximo iunio mense, cuncto clero populoque gestiente, quinque episcopatus lustra fauste esse celebraturum. Etenim ad sollemnia iubilaria ineunda, ut libenter audivimus, Congressus e tota archidioecesi Eucharisticus istic habebitur, qui peropportune coetibus paroecialibus per integrum iam annum apparatur. Praeterea ad fidem pietatemque populi erga Augustum Sacramentum adaugendam, Congressio Regionalis Catechistica peragetur, qua omnia consilia atque opera in singulis Siciliae dioecesibus inita in unum conferentur ac perficientur. Quid enim iucundius, Dilecte Fili Noster, quid gregi tuo salutarius, quam sacerdotii plenitudinem, quinque et viginti abhinc annos acceptam, commemorare, caelestem doctrinam de fontibus Salvatoris hauriendo, sempiternaeque vitae lymphas ex divina Eucharistia percipiendo? Tibi igitur de proxima faustitate Nos in primis gratulamur, qui optime novimus quanto ipse animarum studio, primo in dioecesibus Cavensi et Sarnensi, deinde in archidioecesi Beneventana ac denique in praenobili sede ista Panormitana pastorale munus indesinenter obieris. Tuam profecto sollicitudinem ac sollertiam plane loquuntur dioecesanae Synodi habitae, novae conditae ecclesiae et paroeciae, seminaria clericorum refecta vel ampliata aut ex integro instaurata, tot

opportune orta vel provecta educationis caritatisve collegia seu instituta, inter tot temporum angustias et calamitates, iura ecclesiastica vindicata, officia dioecesana ad normas Codicis iuris canonici congruentius accommodata, pietas et honesta cleri sustentatio simulque vita ordinum religiosorum doctrinaeque christianae in scholis traditio promota, et splendor in sacris ritibus perauctus, et Actio Catholica inter laicos acriter excitata. Id praeterea tuae ducitur laudi, quod ad regnum Christi inter infideles inque dissidentes populos amplificandum singulares curas cogitationesque contulisti, praesertim quum Consociationem pro Oriente Christiano in Italia condideris et constitutioni Eparchiae Planensis Graecorum industriose faveris. Haec inter cetera postoralis officii promerita memorantes, proximam sacri eventus celebrationem, nec non utramque Congressionem Cathechisticam et Eucharisticam, libenti animo participamus, atque omnia tua tuorumque studia ad animarum salutem profectumque Nostris apud Deum votis ominibusque prosequimur. Quo autem iubilaria sollemnia salutariora Christi fidelibus evadant, tibi ultro facultatem damus, ut statuta die, post Sacrum pontificali ritu peractum, Nomine Nostro Nostraque auctoritate adstanti populo benedicas, plenam eidem commissorum veniam promonens, ad Ecclesiae praescripta lucrandam. Caelestium interea gratiarum nuntia et conciliatrix, peculiarisque Nostrae dilectionis testis esto Apostolica Benedictio, quam tibi, Dilecte Fili Noster, clero populoque universo, in praesens vel quondam tibi tradito, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die IX mensis Aprilis, Dominica Resurrectionis D. N. I. C., anno MDCCCCXXXIX, Pontificatus Nostri primo.

PIUS PP. XII

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM

AUFERTUR PROHIBITIO DIARII « L'ACTION FRANÇAISE », EX DIE PROMULGATIONIS HUIUS DECRETI.

Feria IV, die 5 Iulii 1939

Decreto huius Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii diei 29 Decembris 1926, diarium *L'Action Française*, prout tunc edebatur, damnatum et in Indicem librorum prohibitorum insertum fuit, attentis quae, illis praesertim diebus, in eodem diario contra Sedem Apostolicam ipsumque Summum Pontificem scribebantur.

Verum, litteris ad Summum Pontificem s. m. Pium XI die 20 Novembris 1938 datis, Consilium praedicto diario praepositum se subiecit et petitionem ad auferendam diarii prohibitionem exhibuit, quae examini huius S. Congregationis submissa fuit.

Recens vero, praefatum Consilium, petitionem iterans, apertam et laudabilem significationem obsequii erga S. Sedem dedit, errores reprobavit et cautiones circa debitam Magisterio Ecclesiae reverentiam praebuit per litteras die 19 Iunii 1939 ad Pium Pp. XII feliciter regnantem datas, quarum textus *in Adnexu I* refertur.

Quapropter in generali consessu Supremae S. Congregationis S. Officii, habito feria IV, die 5 Iulii 1939, Emi ac Revmi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, auditis Emis ac Revmis Dnis Galliae Cardinalibus, statuerunt:

Ex die promulgationis huius Decreti, prohibitio praedictum diarium *L'Action Française* legendi ac retinendi aufertur, manentibus prohibitis foliis usque adhuc in Indicem librorum prohibitorum relatis; quin tamen Suprema haec S. Congregatio de rebus ad placita mere politica spectantibus deque finibus in eodem agone ab ipso diario propositis, dummodo legi morali non adversentur, iudicium quodcumque ferre intendat; et ad mentem.

Mens autem est: firmis manentibus quae saepe a S. Sede proposita sunt, tum circa distinctionem religiosarum rerum a negotiis mere poli-

ticis, tum circa rei politicae subiectionem legi morali, tum circa principia et officia ad Actionem Catholicam promovendam tuendamque tradita. Revmis Galliae Ordinariis enixe commendatur vigilantia ad urgendam observationem eorum, quae iam a Conferentia Cardinalium et Archiepiscoporum, anni 1936, hac super re statuta sunt et *in Adnexu II* referuntur.

Et sequenti feria V, die 6 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. Pius Divina Providentia Pp. XII, in solita audientia Excmo ac Revmo Dño Adsessori S. Officii concessa, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 10 Iulii 1939.

Romulus Pantanetti, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

ADNEXUM I

TEXTUS DECLARATIONIS EXHIBITAE A CONSILIO DIARIO « L'ACTION FRANÇAISE » PRAEPOSITO.

Très Saint Père,

Nous soussignés, membres du Comité-directeur du journal *L'Action Française* unis dans les sentiments de la plus profonde vénération pour Votre Sainteté.

Mettons à Ses Pieds, au début de Son Pontificat, marqué déjà des signes universellement reconnus de la Justice et de la Paix, la sincère et loyale déclaration de nos intentions et des assurances par lesquelles nous voulons renouveler l'expression des sentiments que nous avons déjà soumis au très regretté et vénéré Pontife Pie XI, de sainte mémoire, dans notre lettre du 20 Novembre 1938, pour obtenir le retrait de la mise à l'Index, prononcée par la Suprême Sacrée Congrégation du Saint-Office contre le journal *L'Action Française.*

1) Pour ce qui concerne le passé, nous exprimons la plus sincère tristesse de ce qui, dans les polémiques et controverses antérieures et postérieures au Décret de condamnation du Saint-Office, le 29 Décembre 1926, a paru et a été de notre part irrespectueux, injurieux et même injuste envers la Personne du Pape, envers le Saint-Siège et la Hiérarchie Ecclésiastique, et contraire au respect que tous doivent avoir pour toute Autorité dans l'Eglise.

2) Pour tout ce qui regarde en particulier la Doctrine, tous ceux d'entre nous qui sont Catholiques, en reprouvant tout ce qu'ils ont pu écrire d'erroné, rejettent complètement tout principe et toute théorie

qui soient contraires aux enseignements de l'Eglise Catholique, enseignements pour lesquels nous professons unanimement le plus profond respect.

3) Nous déclarons et assurons en outre que nous voulons être très attentifs à rédiger le journal, de telle manière que, ni les collaborateurs, ni les lecteurs n'y trouvent rien qui, directement ou indirectement, trouble leur conscience et qui s'oppose à l'adhésion due aux enseignements et aux directives d'ordre religieux et moral de l'Eglise.

Nous affirmons formellement notre volonté unanime de développer notre activité de journalistes, même dans le domaine social et politique, de façon à ne jamais manquer, pour ce qui est des Catholiques, à la soumission et, pour nous tous, au respect dû aux directives de l'Autorité Ecclésiastique dans les problèmes qui, en ce domaine social et politique, intéressent l'Eglise par leurs rapports avec sa fin surnaturelle.

Depuis longtemps, Très Saint Père, les violences, attaques et toute autre attitude du journal qui ont motivé la condamnation de 1926, ont cessé et sont désavouées.

C'est pourquoi nous osons demander au Père qui tient les Clefs de la Miséricorde et de la Justice, de daigner considérer, en terminant l'examen déjà commencé par Sa Sainteté Pie XI, si, selon Son jugement souverain, les justes motifs de prohibition ayant, ce nous semble, cessé d'exister, celle-ci ne pourrait légitimement tomber à son tour.

Et nous mettons aux Pieds de Votre Sainteté, avec l'hommage de notre profonde vénération, celui de notre dévouement inaltérable, en sollicitant de tout cœur les Bénédictions du Père commun sur chacune de nos personnes et, par delà, sur toute notre France, fille aînée de l'Eglise, à laquelle nous avons dévoué notre vie.

Paris, le 19 Juin 1939.

Léon Daudet, *Co-directeur de « L'Action Française »*.
Ch. Maurras, *Co-directeur de « L'Action Française »*.
Maurice Pujo, *Rédacteur en chef de « L'Action Française »*.
Paul Robain.
Jacques Delebecque.
F. de Lassus.
Robert de Boisfleury, *Administrateur délégué de « L'Action Française »*.
Général de Partouneaux, *Président du Conseil d'Administration*.
M. de Roux, *avocat, leur défenseur et conseilleur*.

ADNEXUM II

STATUTA AB EM̃IS AC REVM̃IS GALLIAE CARDINALIBUS AC ARCHIEPISCOPIS IN CONFERENTIA ANNI 1936.

a) *Le Clergé*

1) Le Clergé ne doit pas négliger de faire son devoir civique, mais il évitera soigneusement de s'inféoder aux partis politiques.

2) Il est tenu d'exposer en dehors de toute considération de parti, la doctrine catholique qui concerne les droits de l'Eglise, de la famille, de l'école et généralement le bien commun.

b) *Les Catholiques*

1) Les Catholiques auront le souci constant de maintenir l'Eglise et l'Action Catholique en dehors et au dessus des partis.

2) Ils sont tenus de s'interesser à l'Action civique et, pour cela, seront instruits des principes catholiques d'action civique ...

3) Les dirigeants et militants d'Action Catholique ne seront pas en même temps directeurs, représentants ou propagandistes d'un parti politique.

4) Il pratiqueront loyalement les vertus du citoyen et notamment le respect du pouvoir établi.

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

PADERBORNENSIS - COLONIENSIS

DECRETUM

DE MUTATIONE FINIUM DIOECESIUM

Ad paroeciam B. Mariae Assumptae in Coelum in urbe *Gelsenkirchen-Rotthausen*, archidioecesis Paderbornensis, territorium pertinet quod viis quae sequuntur circumscribitur : *Girondellen, Geitling, Kolibri, Kreftenscheer, Plasshofsbank, Rotthausener-Sonnenschein, Schwarzbach und Voss-Strasse* necnon partim via : *Achternbergstrasse.*

Cum autem fideles praefati territorii, ob magnam distantiam, haud facile propriam ecclesiam paroecialem adire possint, ab Apostolica Sede

expostulatum est ut memoratum territorium ab archidioecesi Paderbornensi seiungeretur et viciniori paroeciae *Essen-Kray* in archidioecesi Coloniensi aggregaretur.

Porro Ssmus Dominus Noster Pius Div. Prov. Pp. XII, rei opportunitate perpensa, attento consensu Ordinariorum utriusque archidioecesis atque praehabito favorabili voto Exc. P. D. Caesaris Orsenigo, Archiepiscopi titularis Ptolemaidensis in Libya et Nuntii Apostolici in Germania, oblatas preces excipiendas decrevit.

Quapropter, vi praesentis Decreti Consistorialis, statuit ut praefatum territorium a paroecia *Gelsenkirchen-Rotthausen* atque ab Archidioecesi Paderbornensi seiungatur et paroeciae *Essen-Kray* in archidioecesi Coloniensi perpetuo attribuatur.

Ad haec autem exsecutioni mandanda, Sanctitas Sua deputare dignata est eumdem Exc. P. D. Caesarem Orsenigo, ipsi tribuens facultates ad id necessarias et opportunas, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, facto onere mittendi quamprimum ad hanc S. C. Consistorialem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. Consistorialis, die 1 Aprilis 1939.

Fr. R. C. Card. Rossi, *a Secretis.*

L. ✠ S.

V. Santoro, *Adsessor.*

II

PROVISIO ECCLESIARUM

Ssmus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa XII, decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

die 15 Iulii 1939. — Cathedrali Ecclesiae Campecorensi praefecit R. D. Albertum Mendoza, Canonicum capituli metropolitani Angelorum.

die 19 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Rosnaviensi Exc. P. D. Michaëlem Bubnić, hactenus Episcopum tit. Scilitanum.

— Cathedrali Ecclesiae Sabariensi Exc. P. D. Iosephum Grösz, hactenus Episcopum tit. Orthosiensem in Phoenicia.

— Cathedrali Ecclesiae Veszprimiensi R. D. Iulium Czapik, Protonotarium Apostolicum a. i. p. et Canonicum Capituli Cathedralis Satmariensis et Magnovaradinensis Latinorum.

— Cathedrali Ecclesiae Cassoviensi R. P. Stephanum Madaráz, Antistitem Urbanum et Canonicum Capituli Cathedralis Satmariensis et Magnovaradinensis Latinorum.

die 27 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Abellinensi R. P. Guidonem Bentivoglio, Visitatorem Minorem et Secretarium Congregationis Cisterciensis S. Bernardi in Italia.

die 29 Iulii. — Metropolitanae Ecclesiae S. Pauli in Brasilia Exc. P. D. Iosephum Gasparem de Affonseca y Silva, hactenus Episcopum titularem Barcaeum.

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

NOMINATIO

Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali, decreto die 10 Iunii a. 1939 dato, ad suum beneplacitum renunciavit R. P. Salvatorem Pane, e Congregatione Missionis, *Praefectum Apostolicum de Tigrai*.

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I

DE KIRIN ET DE TSITSIHAR

DECRETUM

E VICARIATU APOSTOLICO DE KIRIN PARS SEPTEMTRIONALIS SEIUNGITUR ATQUE PRAEFECTURAE APOSTOLICAE DE TSITSIHAR ADNECTITUR.

Cum Exc. P. D. Augustus Gaspais, Vicarius Apostolicus de Kirin, petiisset extremam partem septemtrionalem sui Vicariatus, ut aptius in ea operi missionali provideretur, Praefecturae Apostolicae de Tsitsihar adnecti, Emi Patres huic S. Congregationi praepositi, in sollemni consessu celebrato die 30 mensis Ianuarii v. a., consideratis consentientibus votis Rmi P. Pauli Hugentobler, Praefecti Apostolici de Tsitsihar, ac Superiorum Societatis Missionalis a Bethlehem, cui eadem Praefectura

est commissa, necnon Superiorum Societatis Parisiensis Missionum ad exteras gentes, cui est Vicariatus Apostolicus de Kirin concreditus, petitioni annuendum esse censuerunt. Decreverunt itaque ex Vicariatu Apostolico de Kirin seiungi ac Praefecturae Apostolicae de Tsitsihar adnecti Praefecturas civiles de Tung-peh et de Lung-chen, addito insuper eo territorio quod recenter ex Praefectura civili de Lung-chen distractum civili Praefecturae de Tehtu adscriptum est.

Quam Emorum Patrum sententiam Ss. Dominus Noster Pius Div. Prov. Papa XII, in Audientia concessa infrascripto huius S. Congregationis Secretario, ratam confirmatamque habuit hac die 15 Martii, atque praesens Decretum confici iussit ac expediri.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 15 mensis Martii, A. D. 1939.

P. Card. FUMASONI BIONDI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† Celsus Costantini, Archiep. Theodos., *Secretarius*.

II

DE MIARINARIVO ET DE MORONDAVA

DECRETUM

A MISSIONE SUI IURIS DE MIARINARIVO DISTRICTUS DE ANKAVANDRA SEIUNGITUR ATQUE PRAEFECTURAE APOSTOLICAE DE MORONDAVA SUBIICITUR.

Quum pro faciliori animarum regimine valde expediat ut ecclesiasticae iurisdictionis limites iidem sint ac coincidant cum limitibus iurisdictionis civilis, huic Sacro Consilio christiano nomini propagando praeposito opportunum visum est ad novam limitum designationem procedere inter Praefecturam Apostolicam de Morondava et Missionem sui iuris de Miarinarivo in Vicariatu Apostolico de Tananarive.

Quapropter Eminentissimi Patres huius S. de Propaganda Fide Congregationis in Plenariis Comitiis, die 30 Ianuarii vertentis anni habitis, precibus a Revmo P. Iosepho Futy, Praefecto Apostolico de Morondava, circa rem porrectis obsecundantes, et attento favorabili voto Exc. P. D. Stephani Fourcadier, Vicarii Apostolici de Tananarive et Ordinarii Missionis sui iuris de Miarinarivo, decreverunt ut locus administrativus de Ankavandra distraheretur a Missione sui iuris de Miarinarivo et Praefecturae Apostolicae de Morondava uniretur.

Quam Emorum Patrum sententiam Ssmo Domino Nostro Pio Div. Prov. Papae XII, in Audientia diei 15 mensis Martii 1939 ab infrascripto Sacrae eiusdem Congregationis Secretario relatam, Sanctitas Sua in omnibus adprobare ratamque habere dignata est, praesensque ea super re Decretum fieri iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 15 mensis Martii, anno Domini 1939.

P. Card. FUMASONI BIONDI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Celsus Costantini, Archiep. Theodos., *Secretarius.*

III

PROVISIO ECCLESIARUM

Singulis, ut infra, datis decretis Sacri Consilii Christiano Nomini propagando, Ssmus D. N. Pius Div. Prov. Pp. XII dignatus est sequentes providere Ecclesias, nimirum :

die 13 mensis Iunii 1939. — Titulari episcopali Ecclesiae Mostenensi praefecit R. P. Isidorum Leonem Scharmach, e Congregatione Missionariorum SS. Cordis Iesu, quem constituit Vicarium Apostolicum Rabaulensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Arycandensi R. P. Ioannem Larregain, e Societate Parisiensi Missionum ad exteras gentes, quem constituit Vicarium Apostolicum de Yunnanfu.

— Titulari episcopali Ecclesiae Olbiatanae R. D. Iacobum Colbert, e clero saeculari, quem constituit Vicarium Apostolicum de Port Elizabeth.

— Cathedrali Ecclesiae Ajmerensi R. P. Leandrum Guidonem Le Floch, O. M. Cap.

IV

NOMINATIONES

Decreto, sub die 13 mensis Iunii a. 1939 dato, Sacra Congregatio de Propaganda Fide constituit Vicarium Apostolicum Orae Benini Exc. P. D. Leonem Taylor, Episcopum Titularem Vartanensem, hactenus Vicarium Apostolicum Nigeriae Occidentalis.

Item, decretis ut infra datis, Sacra Congregatio de Propaganda Fide ad suum beneplacitum renunciavit:

die 30 mensis Iunii 1939. — R. D. Iosephum Yuen, e clero saeculari sinensi, *Praefectum Apostolicum de Chumatien.*

— R. P. Ioannem Riegler, e Congregatione Missionariorum Filiorum Ssmi Cordis Iesu, *Praefectum Apostolicum de Lydenburg.*

— R. P. Ubaldum Lehmann, e Societate Sacrorum Cordium Iesu et Mariae necnon Adorationis perpetuae Ssmi Sacramenti altaris, *Praefectum Apostolicum Insularum de Cook.*

V

DESIGNATIO PRO APPELLATIONE

Iuxta can. 1594 § 2 Codicis Iuris Canonici, pro appellatione Vicarius Apostolicus de Dakar designavit Tribunal Vicariatus Apostolici de Rabat.

Quam designationem Ssmus D. N. Pius Div. Prov. Pp. XII in Audientia diei 27 mensis Iunii a. 1939 approbavit.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

COMEN. SEU MEDIOLANEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVI DEI ALOISII GUANELLA, SACERDOTIS ET FUNDATORIS CONGREGATIONIS SERVORUM A CARITATE ET FILIARUM S. MARIAE DE PROVIDENTIA.

SUPER DUBIO

An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Psalmistae verba, quae de Christo loquuntur: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem,* sanctus Ecclesiae Doctor Robertus Card. Bellarmino commentans: « Beatus quoque est, scribit, qui intelligit super

egenum et pauperem Christum in membris suis, de quibus Matthaeus: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Sed non dicit psalmus: Beatus qui dat eleemosynam pauperi, sed qui intelligit super egenum et pauperem, idest, qui prudenter considerat pauperum necessitates et dat cui, quando, quantum oportet ex pura caritate et liberalitate, non ex inani gloria vel spe retributionis». (Expl. in ps. XL, v. 1). Graphice hisce verbis Servi Dei Aloisii Guanella vita describitur eiusque apostolatus, uti vel breviter modo attingemus.

Re sane vera, die 9 Decembris mensis anno D. 1842 humili loco v. d. Franciscio, prope oppidum «Campodolcino» intra Comen. Diocesis fines, ex Laurentio et Maria Bianchi, honestis ruricolis, puer est natus, cui sequenti die, una cum sacris baptismi aquis, Aloisii nomen fuit impositum. Piissimos sortitus est genitores, matrem praesertim, qui duodecim filiolos timere et amare Deum verbo et exemplo docebant. Ipse pater cotidie domi B. Virginis rosarium recitare aliasque preces cum filiis effundere in deliciis habebat. Unde nil mirum si ex hoc viridario duo, prae ceteris, lectissimi flores gignerentur, Aloisius et Catharina, cuius quoque causa in sacra hac Congregatione agitur; alter quoque frater, nomine Laurentius, et ipse sacerdos factus.

Primis litterarum elementis domi prius, dein vero in Comensi Collegio «Gallio», quod Clerici Regulares a Somascha etiamnum moderantur, fuit imbutus.

Quum autem piissimus adolescens ad clericalem statum divino impulsu vehementer alliceretur, dioecesanum Seminarium est ingressus, in quo philosophicis ac theologicis disciplinis sedulo incubuit, omnibus propter suavissimos mores carum se exhibens.

Die S. Philippo Nerio sacra, a. D. 1866 sacerdotio auctus, in «Prosto», exinde vero apud «Savogno», paroecialibus curis totum se dedidit, ingentes animarum manipulos referens, efficax ei auxilium Catharina sorore praebente.

Non sine autem Divinae providentiae consilio factum est, ut per triennium cum S. Ioanne Bosco consuesceret: sub eius enim sapientissima disciplina ad ea exsequenda, quae Deus ei destinaverat, se mire comparavit.

Comum ab Episcopo a. 1878 revocatus, pluribus hic atque illic functus sancte muneribus, quatuor post annos parochus loci «Pianello Lario» factus, egregia facinora est prosequutus decessoris sui, qui hospitium pro orphanis puellis senibusque constituerat, nobile ampliorum operum rudimentum. Christi caritate eum urgente, hospitium amplificare avens, Comum se transtulit, primamque *Domum Divinae Providentiae* a. 1886

